

sed fundatur Ecclesia super confessione Petri, ut a Petro facta. Quo sensu intelligendi sunt patres Hilarius libro VI de Trinitate; Ambrosius libro VI in Lucam, cap. IX; Chrysostomus, homil. LV in Matthæum, et alii dum illam petram in qua fundatur Ecclesia fidem, seu confessionem fidei intelligunt, non tamen absolute, sed ut a Petro est.

XI. Ex his ergo duobus notabilibus, seu principiis, scilicet quia in citatis locis datur auctoritas, seu potestas aliqua cæteris superior ad confirmandas res fidei, et doctrinam Ecclesiæ, et illa confertur uni personæ determinatæ, cum qua Christus loquebatur nominando ipsam, et a cæteris discernendo, sicut Luc. XXII dixit omnibus: *Ecce Satan expetivit vos ut cribaret sicut triticum*: ad Petrum autem: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: et similiter Joan. XX Petrum ab aliis discernendo dixit: *Simon Joannis diligis me plus his*, et statim intulit: *Pasce oves meas*. Ex his inquam principiis conficitur pro nostra conclusione argumentum sic: Petrus recepit a Christo tamquam determinata persona potestatem aliquam in omni Ecclesia superiorem in confirmandis, et pascendis cæteris; ergo illa Ecclesia primitiva, quæ tunc erat habuit unitatem capituli, seu gubernatoris in terra, nempe Petrum: ergo et Ecclesia, quæ modo est debet unitatem capituli habere, et gubernari ab una suprema potestate, et non debent esse plures potestates supremæ. Antecedens constat ex locis allegatis, in quibus persona Petri in auctoritate, et regimine præfertur omnibus, et non istis, aut illis determinate; nam ut dixit Innocentius III, in capite Solitæ de majoritate, et obedientia: « In illis verbis pasce oves meas non distinxit inter has oves, et alias, ut alienum a suo demonstra-

ret ovili qui Petrum, et successores ipsius magistros non recognosceret, et pastores. » Si autem omnibus prælatus est sine ulla distinctione; ergo nullus illi æqualis fuit in potestate illa in qua unus est, aut saltem eo modo quo unus est, scilicet ut ordinarius pastor Ecclesiæ quod etiam Apostolos intellexisse testatur Hieronymus super caput XVIII Matthæi dum inquit: « Quod quia viderant pro Petro, et Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii arbitrati sunt Petrum cæteris Apostolis esse prælatum, et ideo interrogant qui major sit in regno cælorum. » Et in eodem sensu semper locutus est Christus nominans illum individualiter, et in actu signato a cæteris distinguens, ut patet Joannis XX, cum dat illi potestatem pascendi præ cæteris, quia et præ cæteris diligere examinatur; et similiter Lucæ XXII inter omnes ei promittitur non defecturum in fide, et jubetur ut confirmet fratres, quando conversus fuerit. Aliquid ergo personæ Petri ut a cæteris distinguitur, tribuitur a Christo. Consequentia prima argumenti constat, Matth. XXIII, nam Ecclesia tunc habuit illud regimen, quod Christus in ea posuit; constat enim Christum tunc constituisse corpus Ecclesiæ tamquam ordinatam rempublicam diversis gradibus distinctam et ministeriis, ut primo essent Apostoli, deinde doctores, etc. Paulus narrat. I ad Corinth. XII, et ad Ephes. IV: ergo si in illis singularitatem auctoritatis supra omnes oves tantum Petro tribuit, illud tunc in illo regimine Ecclesiæ servatum fuit, alias frustra rempublicam institueret ecclesiasticam, et auctoritatem super omnes Petro tribueret, sed id servandum non esset. Secunda vero consequentia manifesta etiam est, quia regimen, et gubernatio Ecclesiæ sic continuatum est modo sicut

tunc incepit, cum maxime solliciti fuerint Apostoli servare unitatem Ecclesiæ, quæ sane servari non posset si tunc uno capite regeretur, et post modum ipsi in plura capita illam dividerent. Nam si mutaretur modus ille regiminis qui erat in Ecclesia positus a Christo, et servatus in Petro, non esset eadem Ecclesia illa quæ modo est cum illa, quæ tunc incepit, si quidem ut dicit philosophus III politicorum, cap. II: « Civitas dicitur manere eadem specie quamdiu remanet eadem forma republica: » si ergo non remaneret eadem forma gubernandi Ecclesiam, non maneret eadem specie, nec continuaretur illa cum ista nisi eo modo quo antiquæ legis Ecclesia cum nostra continuatur.

XII. Pro majori autem intelligentia conclusionis positæ advertendum est, apostolicam auctoritatem, seu dignitatem quam Christus Dominus instituit aliqua habuisse in quibus omnes Apostoli pares fuerunt; neque in illis modo unitatem aliquam primatus constituimus: aliqua autem fuisse in quibus suprema aliqua potestas instituta est a Christo ut in Ecclesia permaneret, et de hac solum agimus, et in ea Petrum reliquos Apostolos superasse præcise asserimus, verbi gratia Apostolis data est potestas in orbe prædicandi evangelium cum dixit Christus: *Sicut misit me Pater ita ego mitto vos*, et consequenter tribuit eis extraordinariam potestatem, qualis requirebatur in illis primis fundatoribus Ecclesiæ per totum mundum, ut scilicet haberent potestatem delegatam a Christo circa Ecclesiam, haberent primitias Spiritus, plenitudinem scientiæ, confirmationem in gratia, donum linguarum, potestatem ad miracula, directionem Spiritus ad canonicè scribendum, etc. Hæc autem omnia, quæ pertinebant ad extraordinariam illam auctoritatem, quam habebant

tamquam fundatores Ecclesiæ, et respectu ipsius Ecclesiæ in fieri, ut ita dicam, non oportebat in successoribus ordinariè conservari, quia ipsi non succedebant ut fundatores Ecclesiæ, et ideo non erat necesse accipere illam extraordinariam potestatem. Et hujus ratio est, quia Apostoli in hac potestate habebant se ut legati missi immediate a Christo, in hoc autem munere legationis nullus successit, et ideo nullus amplius vocatur Apostolus in Ecclesia.

XIII. Alia potestas erat circa regimen Ecclesiæ, et gubernationem ejus, quæ pertinebat ad Ecclesiam, quasi ad ejus conservari et innitebatur potestati ordinis in Apostolis. Et hæc potestas debebat manere in Ecclesia per successores eorum, juxta illud Pauli ad episcopos Actorum XX: *In quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*: et ad Titum I dicitur: *Ut constituas per civitates presbyteros*: et quale sit episcopale munus ibidem declaratur, et I ad Timoth. III. Nec Ecclesia conservari posset sine regimine, et gubernatione, alias non esset congregatio hominum ordinata; oportuit ergo in hoc regimine esse successores. In his ergo dicimus quod illa loca Scripturæ, quæ tangunt hanc potestatem ordinis, et regiminis Ecclesiæ unitatem supremæ potestatis designant in Petro, quod non fuit in reliquis Apostolis: et hoc etiam patres affirmant, qui fatentur parem honorem in Apostolis fuisse, sed non unitatem capituli, in solutione primi argumenti ostendetur. Et hoc patet, nam quando Dominus loquitur Petro dans illi inter cæteros Apostolos aliquid peculiaris excellentiæ, et dignitatis semper designat aliquem actum regiminis, et ordinis, ut quando dicit: *Tu conver- sus confirma fratres tuos: Tibi dabo claves regni cælorum: Pasce oves meas, etc.*

in quibus semper denotatur actus regiminis. Quantum ad hoc ergo quod est regere, et gubernare dicimus apostolicam auctoritatem uni eminentius collatam esse inter cæteros, et tamquam capiti gubernationis, respectu omnium etiam discipulorum Christi, ut notavit S. Damasus papa epistola IV ad Stephanum, et Concilia Africæ, ubi Petrum omnium membrorum Christi, maxime que discipulorum orthodoxæque et immaculatæ fidei principem, et doctorem appellat. Hoc ergo probamus in primis ex eo quod in veteri testamento fuit ordinarie unus tantum pontifex summus ex officio, sicut Aaron, et successores ejus, licet extraordinarii prophetæ cum aliqua extraordinaria potestate mitterentur ad populum. Cæterum officium et dignitas summi sacerdotis tantum erat in uno, quod etiam ipsi hæretici fatentur, et ex ipsa Scriptura patet, in qua pontifex numeratur tamquam una persona ut Aaron, deinde Eleazar, deinde Phinees, et alii multi, ut videri est Numer. xx, Deuteron. x, et II, Paralip. XIX, unus summus sacerdos præsidens ponitur Amarias, et alibi sæpe de aliis pontificibus, quin Joan. XI dicitur de Caïpha: *Cum esset pontifex anni illius*. Si ergo tunc synagoga unum visibile caput habuit in sacerdotio, et illa fuit typus Ecclesiæ et non solum Christi, cur et modo unum caput non habebit.

XIV. Deinde secundo id probatur ex tribus præcipue locis novi testamenti, in quibus tria ponderanda sunt, et ex illis ratio demonstrativa contra hæreticos conficienda. Primum est, in his verbis designari potestatem, et auctoritatem collatam: secundum, designari subjectum determinatum, cui confertur: tertium, designari universitatem subjectorum supra quæ confertur. De primo et secundo late supra, et

de tertio præter ibi dicta patet ex universalibus illis clausulis quæcumque solveris: quæcumque alligaveris: item confirma fratres tuos, non hos vel illos, sed absolute fratres: item pasce oves meas non has, vel illas, sed quæ sunt meæ, istæ autem sunt omnes. Quæ est ponderatio Innocentii supra allata, et Bernardi in libro secundo de consideratione: « Oves meas, inquit, cui non planum est non designasse aliquas, sed assignasse omnes; nihil excipitur ubi distinguitur nihil. »

XV. Tertio probatur ex traditione Ecclesiæ a temporibus Apostolorum per dicta pontificum, Conciliorum, et patrum. Et in primis unitatem capitis sæpissime tradit S. Cyprianus in libro de simplicitate prælatorum in principio: « Super unum, inquit, ædificat Ecclesiam: » et infra: « Hoc erant utique cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris, et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una esse monstretur. » Quæ verba secutus Hieronymus libro primo contra Jovinianum ad tollendam schismatis occasionem, unum caput constitutum dixit etsi super omnes Apostolos fundaretur Ecclesia: et similia habent Anacletus epist. III post principium; Julius I epistola prima in fine; et Leo papa epistola LXXXII in fine; Gelasius epistola I, cap. XI. Qui inquit: « Quod licet omnium Apostolorum par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præmineret. De qua forma episcoporum quædam orta est distinctio per quos ad unam S. Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil a suo capite desideret. » Idem constat ex patribus ab ipsa Apostolorum traditione, unitatem hanc in Ecclesia agnoscentibus, nam in primis S. Dionysius, qui loquens de Ecclesia, quæ suo tempore gubernabatur ab Apostolis, Petro tri-

buit supremam auctoritatem inter omnes etiam Apostolos, dum inquit capite tertio de divinis nominibus: « Aderat autem, et Petrus suprema, et antiquissima theologorum summitas. » S. Ignatius epistola ad Philadelphenses: « Una est caro Domini Jesu, et unus sanguis ejus qui pro nobis effusus est: unus etiam panis pro omnibus contractus, unus calix totius Ecclesiæ, et unus episcopus simul cum omnibus presbyteris, et diaconis. » Quem loquendi modum secutus sæpe est S. Cyprianus, ut epistola XL: « Una Ecclesia, inquit, est, et cathedra una super petram Domini voce fundata, quisquis alibi collegerit, spargit: » et libro de exhortatione ad martyrium: « Cum septem liberis plane copulatur, et mater, origo, et radix qua Ecclesias septem postmodum peperit, ipsa prima, et una super petram Domini voce fundata. » Videatur etiam epistola LV, et libro de simplicitate prælatorum ubi supra. Item S. Dionysius papa Beato Cypriano æqualia epistola II, quæ habetur tomo primo Conciliorum: « Habemus, inquit, auctoritatem universali Ecclesiæ subvenire, et quidquid nocivum est auctoritate apostolica corrigere, et emendare: » et infra subdit: « Unumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurrere præpositus. » Item Origines super initium evangelii Joannis: « Nemo nos existimet Petro Joannem præferre. Quis hoc fecerit? Quis enim esset altior illo qui est dicitur vertex eorum. » Et S. Chrysostomus homil. LV in Matthæum: « Vocatur Petrus omnium Apostolorum os, vertex consortii totius, etc. » et infra: « Hunc universo terrarum orbi Christus præposuit. » S. Cyrillus Alexandrinus libro II thesauri, quem etiam D. Thomas opusculo primo contra errores Græcorum: « Ut membra maneamus in capite

nostro apostolico throno, etc. Ipsum venerantes, ipsum rogantes præ omnibus, quoniam ipsius solius est reprehendere, et corrigere, statuere, solvere, disponere, et loco illius ligare, qui ipsum ædificavit: » et infra: « Christus nulli alii quod suum est, sed ipsi soli dedit, cui omnes jure divino caput inclinent, etc. » Item Augustinus in libro quæstionum novi et veteris testamenti, quæstione LXXV: « Sicut in Salvatore erant omnes causa magisterii, ita et post Salvatorem in Petro omnes continentur, ipsum enim constituit caput eorum. » Denique Bernardus libro secundo de consideratione ad Eugenium: « Forte præsentis cæteri condiscipuli erant, cum committens uni oves unitatem omnibus commendavit in uno grege, et in uno pastore: » et infra: « Alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur, et in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. » Denique testimonia, quæ probant ad unum summum pontificem Concilia confirmanda remitti, ad ipsum ab omnibus episcopis appellari, ipsumque omnes ut primam sedem recognoscere, clarissime ostendunt unitatem capitis Ecclesiæ. Hæc autem commodius afferrentur infra ostendendo hanc auctoritatem capitis supremi inveniri in episcopo Romano, ne sæpius eadem repetamus.

XVI. Quarto denique probatur catholica ista assertio ratione: et inter alias præcipua ratio probans hanc unitatem capitis est illa, quam D. Thomas posuit in præsentis articulo ex unitate fidei, et in additionibus, quæstione XL, articulo VI, ex unitate Ecclesiæ. Et ratio quæ deducitur ex unitate fidei sic efficaciter formatur: Fides debet esse una apud omnes, ergo quicumque habet auctoritatem infallibiliter determinandi

res fidei debet obligare omnes, qui illam determinationem audierint; ergo implicat esse potestatem supremam ad determinandum res fidei, et illi non subesse omnes fideles, quia omnes tenentur credere illi determinationi, si quidem pertinet ad fidem, et fides una est. Confirmatur et explicatur amplius ista ratio, nam vel auctoritas suprema determinandi res fidei est in multis quatenus congregantur in unum, id est, in Concilio, et congregatione multorum, seu in multis copulativim, vel est in multis divisivim, ita ut quilibet eorum haberet potestatem determinandi res fidei infallibiliter. Si primum, verum quidem est congregationem Ecclesiæ non posse errare, cæterum hoc ipso indiget aliquo habente potestatem ad congregandum: si autem ponenda est una suprema potestas ad congregandum Concilia, etiam et consequenter ad cognoscendum de illa re ad quam congregat; esset enim magnum absurdum quod princeps haberet potestatem congregandi suos inferiores ad tractandum aliquod negotium, et ipse non posset cognoscere de eo quod tractant nisi tamquam unus aliorum, et non ut superior confirmando vel infirmando ea quæ tractant: præterea, quia potestas hæc congregandi fundatur in potestate pascendi, et confirmandi cæteros, sicut dictum est: *Confirma fratres tuos*: si quidem congregatio ista ordinatur ad confirmandum res fidei; ergo ad quem pertinet congregare Ecclesiam, pertinet et confirmare. Si autem non esset potestas, quæ auctoritatem haberet ad congregandum illos multos, in quorum congregatione est potestas determinandi res fidei, semper maneret dubium an esset legitima congregatio, et legitimum Concilium, cum non esset a quo congregarentur, et obligarentur legitime convenire in unum,

et ideo pateret locus schismatibus et calumniis si unus vellet, alter non vellet congregari, essetque moraliter impossibile sine miraculo omnes unanimiter convenire. Quare id esset contra convenientem rationem gubernandi Ecclesiam, et subveniendi necessitatibus occurrentibus circa ea quæ sunt fidei, et ideo provide in antiqua Ecclesiæ regula servatum est, ut Concilia sine auctoritate apostolicæ sedis congregata legitima non sint, ut constat ex Concilio Chalcedonensi, act. x in fine, et in libro quarto historiæ tripartitæ, capite ix habetur: «Regula ecclesiastica jubet non oportere, præter sententiam Romani pontificis Concilia celebrari,» et legi potest epist. i et ii S. Marcelli papæ; Julius papa epist. ii, cap. i; Damasus epistola iii, cap. ii, et epist. v; S. Athanasius, et alii in epistola ad Felicem II, multasque alias auctoritates congerit doctissimus vir Antonius Augustinus libro primo de pontifice maximo, titulo vi, in prima pagina sui epitomes.

XVII. Quod si dicatur auctoritatem, et potestatem supremam circa res fidei esse divisivim in pluribus personis, puta diversis archiepiscopis, vel primatibus, hoc fit omnino implicatorium, nam hoc ipso quod unus eorum determinaret aliquam propositionem de fide si ad id haberet infallibilem auctoritatem, non solum sui subditi, sed etiam omnes fideles, etiam aliorum episcoporum subditi tenerentur acceptare illam determinationem, utpote cum esset infallibilis de fide, et fides sit una apud omnes; ergo in determinatione rerum fidei quilibet eorum debeat habere auctoritatem super omnes in solidum, et sic superflue alii ponebantur hanc supremam auctoritatem habere, cum uni necessario omnes deberent subesse, hoc ipso quod infallibiliter definirer.

XVIII. Ex unitate etiam Ecclesiæ

deducitur idem argumentum, nam si essent plures supremae potestates habentes diversas Ecclesias subjectas, vel in his essent eadem sacramenta, eadem fides, idem sacerdotium, et idem evangelium, vel non. Si non esset; ergo non esset modo unum ovile nec una Ecclesia, quia non constaret eodem sacerdotio, et consequenter non esset eadem lex nova apud omnes, si quidem translato sacerdotio necesse est, ut legis translato fiat, ut ait Apostolus ad Hebræos vii, et sic diviso sacerdotio, divisa esset lex, et Ecclesia: si autem deberent apud omnes esse eadem sacramenta, idem sacerdotium, et ritus, atque eadem lex Christi, frustra essent plures supremi sacerdotes, et plura capita, si quidem omnes eodem modo deberent gubernare, et convenire in his quæ sunt de substantia religionis, et solum possent differre in his quæ sunt accidentales cæremoniæ, aut consuetudines: sicut modo in diversis Ecclesiis diversæ sunt consuetudines, quæ ut observentur non requirunt supremam auctoritatem in quolibet episcopo: si autem in his quæ sunt de substantia religionis omnes illæ supremae potestates deberent eodem modo convenire, et eodem modo regere, alias si unus aliter se haberet quam alter periret unitas fidei, et religionis Ecclesiæ, multo melius id efficitur per unum, quia majus miraculum est plures habentes supremam potestatem convenire omnino, et nunquam discrepare, quam ab uno gubernari ea quæ sub una lege evangelica, et uno sacerdotio, ac religione continentur, præsertim quia licet unus sit in plenitudine supremae potestatis, tamen multi alii vocati sunt in partem sollicitudinis, scilicet multi episcopi, et alii ministri inferiores, quibus totum hoc corpus Ecclesiæ regitur. Unde una ex rationibus,

quibus theologi, et philosophi probant dari unum Deum est ex regimine totius universi, quia si duo suprema principia gubernarent non posset in omnibus esse eadem uniformitas, et unitas regiminis.

XIX. Ex dictis refutata manet hæresis Anglicana quatenus ponit in quocumque rege supremo esse supremam auctoritatem spiritualement circa regimen Ecclesiæ, nec enim unitas Ecclesiæ secundum quod consistit in unitate sacerdotii et administratione sacramentorum, et eadem lege evangelica, nec unitas fidei servari possit nisi omnes eidem determinationi infallibili rerum fidei subsint, ut explicatum est. Specialiter autem id non pertinere ad reges temporales expresse impugnavit S. Ambrosius scribens super hac re ad imperatorem Valentinianum epistola xxxii, ubi secundum Scripturas ostendit episcopos debere de imperatoribus judicare in causa fidei, non e contra: et idem ostendit epistola xxxiii: «Noli, inquit, te gravare, etc.» Unde est illud celebre dictum Joannis papæ, capite Si imperator, xcvi dist. «Si imperator catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ, quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere.» Videri possunt plures auctoritates in tota illa distinctione xcvi, per plura capita, et capite Solitæ de majoritate, et obedientia. Nec obstat fundamentum inferius adducendum pro ista hæresi Anglicana; tum, quia falsum est reges temporales immediate institutionem accepisse a Deo sed mediante populo, seu republica, nam hoc ipso quod homines voluerunt politice vivere, habuerunt quoque jus constituendi sibi caput politicum, quod eos gubernaret, unde non est eadem forma regiminis data omnibus, sed quidam a pluribus, alii ab uno gubernantur, nec tamen